



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. V. Quod sit officium accusatoris?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

vel petat terminos impertinentes, aut dilationes
superfluas 10. Si falsos testes inducat, v. Sayr. l. 12.
c. 24. Fill. tr. 40. r. 10. n. 294. Trul. l. 8. c. 6. d. 1.

DUBIUM V.

Quod sit officium Accusatoris?

Resp. Ut in accusatione seruetur iustitia, cavē-
da sunt tria. Primum est, calumnia, i. e. impositio
falsi criminis vel ejus, quod sufficienter probari
nequit. Et hæc inducit obligationem restituendi,
& subeundi vel pœnam talionis, vel aliam arbi-
trio Judicis. Secundum est, prævaricatio, id est,
collusio cum Reo, & simulata tantum accusatio.
Quæ in criminalibus, si Reipub. damnum sequa-
tur, obligationem restitutionis inducit. Tertium
est, tergiversatio accusationis inchoatæ, absq; ju-
sta causa. Quod addo, quia cum causa, v. g. ob im-
perium Principis, vel Judicis, quod intersit Reip.
talem personam non puniri, vel infamari, vel quod
in accusatione defectus substantialis sit commis-
sus, potest desistere, imò tenetur, si in progressu
causæ cognoscat se errasse, si incipiat dubitare de
crimine, si videat se non posse probare, Fill. tr. 10.
c. 7. n. 205.

Quæres. An & quis teneatur alterum accusare?

Resp. I. Privatum rarò ad id teneri: tum ex praxi
timoratorum; tum quia alias tribunalia essent ple-
na accusationibus, cum perturbatione Reipub.

Dixi I. Privatum: quia si quis à Repub. stipen-
diū ob hoc accipiat, v. g. fiscalis, &c. tenetur ex ju-
sti-

fitia, & consequenter ad damna, ex omissione de-
cusationis secuta, *Fill. Bon. in 8. p. r. c. d. 10 q. 3. p. 1.*

Dixi II. *Rard*: quia si ita exigat bonum publi-
cum, v. g. si proditio imminens, vel grave damnum
vitæ innocentis, aliter averti non possit, & crimen
facile probari possit, tenetur etiam privatus accu-
sare, vel saltem denunciare: idq; tamen ex chari-
tate tantum, quæ restitutionem non importat, *Fill.*
Bon. l. c.

Resp. II. Accusare prohibentur, 1. Excommuni-
cati, proditores, infames, idq; in poenam criminis.
2. Filii, servi, suos parentes vel dominos, ob reve-
rentiam. 3. Clerici, in causa sanguinis, ob indecen-
tiam, *Less. l. 2. cap. 3. d. 5. Bon. l. c.*

Resp. III. Non teneris, imò nec debes etiam, po-
sito superioris præcepto, denunciare crimen. 1. Si
delinquens emendatus est, sine periculo reciden-
di, & parti læsæ satisfactum; nec periculum im-
minet aliis; nec crimen est notorium: quia sine
causa proximi infamia sequetur. *supra l. 2. c. 3. c. 2.*
d. 4. 2. Si crimen nosti sub secreto naturali, tan-
quam consultor, advocatus, &c. Nisi tamen is,
qui secretum commisit, innocentem, vel rempub-
licam injustè vexaret, nec vellet desistere, *Card. de*
Lugo, de just. d. 14. n. 142. 3. Si indè immineat grave
periculum honoris, vitæ & rerum tuarum. 4. Si

etiam probare cogereris, nec posses,

vid. Cardin. de Lugo, d.

38. f. 2.